

9) *M. Warscewiczii*.

Adsunt ramuli duo flexuosi cum vestigiis caulis primarii, quorum alter quatuor, alter quinque bracteas naviculares acutas ovario pedicellato quater breviores gerit. Flores illis Odontoglossi Karwinskii Rchb. fil. subaequales. Sepala ac tepala cuneato ligulata obtuse acuta margine crispula obscura (cinnamomea?). Labellum sepalis bene longius ovatum, oblongum flabellatumve, antice bilobum seu retusum cum apiculo, basin versus velutinum, duabus tertiis inferioribus obscurum concolor, anticum pallidum (cinnamomeum albumque?). Gynostemium crassum ac brevissimum, siccum vix lineam excedens. Androclinium postice angulatum, angulum versus utrinque angulo insilienti; apterotatum; limbi foveae utrinque Miltoniarum more evoluti; dens rostellaris lineari retusus; tabula infrastigmatica margine superiori emarginato; lobo utroque laterali nunc simpliciter integerrimo, nunc paucicrenato; utrinque paucisulcatum; labellum mediae tabulae (nec lateribus) adnatum! — Planta mihi diu dubia, cum an ad *Oncidia*, an ad *Miltonias* melius ducenda, nescirem; nunc tandem cum proprio Marte, tum suadente ipso ill. Lindley huc ducta, cum utriusque nostrum novum genus non statuisset. — Detecta a nob. de Warscewicz. (Hab. sp. sicc. comm. ab ill. Lindley sub N. 428.)

Obs. Eandem speciem, seu valde affinem, jam diu novimus ex herbario Pöppigiano; sed statu deplorabili. Adsunt icon, specimen, scheda. — Icon profert plantam bipedalem. Folia stipantia tria, cuneato oblongo acuta. Pseudobulbus oblongus, monophyllus, folio reliquis foliis aequali. Pedunculus paulo brevior, nudus, apice biflorus, supra florem superiorem decisus.

ebracteatus (Tetradynamarum more). Flos exacte idem, quem descipsimus, sed duplo major; sepala ac tepala pulchre undulata. Adscripta haec: „Bleibt weg. Blumen im Hebar zerstört gefunden.“ — „*Sobralia biflora* Ruiz. Pav.“ (omnia praeter „biflora“ radendo prope destructa. —) „*Diar. bot.* N. 4765. Genus pone *Catleyam* cf. *Icon. bot. Reg.* t. 953.“ Specimen videtur iconi inservisse. Pseudobulbus oblongo ligulatus levissime paucicarinatus, nitidissimus, cicatrice folii latissima. Vaginae foliorum stipantium tres. Pedunculi vaginae glumaceae erectae sex; portio florida brevis. Bracteae glumaceae tres illis plantae Warscewiczii bis terve longiores, scilicet duas pollicis tertias longae. Flos a vermibus prope destructus sepalorum tepalorumque spolia gerit pallidiora angustiora. Labelli — quondam vermibus delictiosi — residua labello plantae Warscewiczianae similia, nervorum rete idem. Folia cuneato oblonga acuta subpedalia, tres pollices lata.

Scheda haec offert: „4765. Pone *Catleyam*. Scapus 2—3 flor. Perianth. ex cinnamomeo flavescens, foliol. undulatis. Labell. sordide purpur. subrotundum, obcordatum, margine anteriore albo limbatum, medio discum incrassatum vernicosum ferens, appendice *) propria supra basin adauctum, mediante eodem cum gynostemio ad stigma usque connatum. Gynost. breve, 3 quetr. truncatum. Pollin. mass. 2, cereac. caudicula lineari glandulae stigmatidis conicae compressae acutissimae affixae.“ *Diar. Cuchero.* Febr. 1830.